

potest, quum seipsum diligit, sui similes non diligere, quum similitudo conciliatrix amoris \* sit. Unde sicut aquilam ferunt, pullorum suorum generositate ad Solis radios explorata, quos oculis inconniventibus Solis splendorem sustinere viderit, tamquam legitimos filios sibi-que similes diligere atque nutrire; ceteros autem tamquam nothos sui-que dissimiles a nido abigere: ita summus ille misericordiarum pater in extremo iudicio misericordes homines, hoc est, paternæ misericordiæ sectatores, intra sinum gloriæ suæ amanter excipiet; crudeles autem & immisericordes procul a conspectu & complexu suo præcipites in tartara dabit.

Quum autem duplicia esse constet misericordiæ opera; quorum quædam ad corporum, quædam ad animarum salutem spectant; & hæc quidem tanto sint illis nobiliora, quanto anima corpori, & spiritualia bona corporeis præstant: S. Matthæus horum præcipue studio omnem vitam suam dicavit. Quod enim aliud munus apostolo & evangelistæ propositum est, quam omnia vitæ studia salutis animarum impendere, & pro illis, quum opus ita fuerit,

vitam ipsam & sanguinem fundere? Utrumque autem beatus Matthæus præstitit: qui, in Æthiopiâ profectus, quæ illi provincia in divisione orbis terrarum obrigerat, immanes & barbaras nationes ad fidei & pietatis cultum, doctrina & miraculis adduxit; &, regio puero e morte ad vitam revocato, regem patrem cum uxore & totam provinciam ad fidem Christi convertit. Sed rege hoc defuncto, Hirtacus quidam regnum obtinuit: qui Iphigeniam, prioris regis filiam, sibi uxorem optabat. Matthæus vero, quo auctore virginitatem illa voverat, ut in sancto virginitatis proposito persisteret, eandem hortabatur. Hirtacus igitur, molestissime ferens Iphigeniæ virginitatem, constanter suis votis obstantem, Matthæum, quem ejus consilii auctorem esse noverat, ad altare sacra facientem gladio confodijussit. Atque ita beatus Matthæus & apostoli & evangelistæ martyrisque coronam adeptus est. Cujus sempiternæ felicitatis Christus Dominus participes nos efficere dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN



IN FESTO  
B. MATTHÆI EVANGELISTÆ  
CONCIO SECUNDA,

IN QUA SANCTORUM QUATTUOR  
animalium mystica visio, quam Ezechiel propheta vidit, explicatur.

*THE. Similitudo vultus animalium, facies hominis, & facies leonis a dextris ipsorum quattuor: facies autem bovis, & a sinistris ipsorum quattuor: facies autem aquilæ desuper ipsorum quattuor. Ezech. I. 10.*

\*\*\* Uoniam ecclesia ho-  
\* **Q** die beatissimi Mat-  
\* thæi evangelistæ fe-  
\*\*\* stum diem celebrat;  
non alienum erit, sacram Ezechielis prophetæ visionem, quæ quattuor illa mystica animalia describit, in præsenticoncione, Domino adspirante, explicare. Hæc enim animalia, sanctorum evangelistarum, & perfectorum virorum mores, officia & dignitatem designare, ecclesia in hac sacra solemnitate declarat, quum, ad Dominum loquens, ait: „tu in-  
„signes evangelii prædicatores  
„animalium cælestium figura  
„præsignasti. His namque cæ-

„leste munus collatum gloriosis  
„indiciis es dignatus ostende-  
„re. De hac igitur mystica mirabilique visione, quæ sancti patres observarunt, quæque temporis angustia permiserint, hodie dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quemadmodum medici, quum \* ægrotos animadverterint fastidio laborare, & ob eam causam de vita periclitari, varios modos condiendi cibos quarunt, ut; quod sub una specie & condimento fastidium parit, sub alia jacentem atque prostratum edendi excitet appetitum;

B 2



tum: sic divina sapientia, quum homines videret spiritualis doctrinæ pabulum fastidire, varias ejus tradendæ rationes excogitavit; ut, quod sub una doctrinæ specie fastidium forte infirmis pariebat, sub alia fastidientis animæ palatum alliceret. Quædam igitur tradit simplici doctrina, quædam historiæ dulcedine atque suavitate condit, quædam claro & aperto sermone pronuntiat, quædam vero parabolarum & figurarum involucris sollicitè inquirenda proponit. Est autem postremum hoc docendi genus maxime copiosum & fecundum: quia quum non propriis, sed tropologicis verbis utatur, plures interpretandi rationes admittit; quum inducta similitudo ad multa varie possit accommodari. Habet illud præterea hæc docendi ratio, quod quo obscurior ac difficilior ad intelligendum est, hoc magis religiosas mentes ad recondita mysteria indaganda sollicitat. Non enim temere dictum est:

*Nititur in vetitum semper,  
cupimusque negata.*  
Exemplo nobis erit admiranda hæc Ezechielis visio, quæ tot pæne mysteriis, quot litteris,

referta est. Hunc enim prophetam Dominus spiritu suo replevit, atque eum, ut concupis Judæis vaticinari posset, (a) Babylonem misit. In quo apparet, quod Origines hoc in loco adnotavit: hoc est, nunquam justitiam Domini adeo severam esse, ut aliquo misericordiæ temperamento vacet. Justitiæ enim fuit, peccatorem populum captivitate & exilio punire; misericordiæ autem, prophetam hunc spiritu suo replere, & ad illum erudiendum atque ab impietate revocandum mittere.

Ceterum, quoniam prophetarum omnium studia in promovenda hominum salute maxime intenta erant; hanc vero salutem per Christum constituendam esse sciebant: ideo prima Ezechielis visio, Christi Domini adventum, evangelii prædicationem, & eorum mores, qui essent evangelium annuntiaturi, ac postremo salutem & conversionem gentium, eorum opera perficiendam, continet. Sic igitur propheta exorsus est: (b) *quum essem in medio captivorum juxta fluvium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.* Vidit igitur propheta triumphalem

cur-

(a) *Ezech. 2. 3.* (b) *Ezech. 1. 1.*

currum, mira viariarum rerum specie insignitum. In excelso enim currus loco thronus positus erat, cui insidebat hominis similitudo, ignis splendore circumamicta. Currus autem quattuor rotis, mira arte elaboratis, nitebatur. Rotas autem & currum ipsum, quocumque esset eundem, deferebant quattuor animalia, mirabili quoque ac plane stupenda forma decorata. Sancti autem patres hoc in loco eum, qui supra currum sub imagine hominis in solio sedebat, Christum Dei filium, humana carne vestitum, interpretantur. Animalia vero, quæ currum deferunt, apostolos & evangelistas, omnesque perfectos & evangelicos viros intelligunt, qui incarnati Verbi notitiam & gloriam, latumque evangelii nuntium per universum mundum detulerunt. Siquidem (a) *in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Rotæ vero, quæ ad animalium motum movebantur, fideles populos designant, qui, apostolorum doctrinam amplectentes, ejusdemque fidei vestigiis insistentes, communi Domino famulantur. Sunt autem rotæ volubiles, ut hoc indicio obedientiæ prom-

Tom. III.

(a) *Psal. 18. 5.* (b) *Rom. 1. 14.*

ptitudinem & alacritatem, quæ in subditis populis esse debet, agnoscamus.

Sed, his omisissis, animalium figuras, quæ viros evangelicos atque perfectos designant, diligentius inspiciamus. Hodie namque perfecti viri, vel perfectionis studiosi, a nobis instituendi sunt. Quum enim (b) sapientibus & insipientibus, hoc est, perfectis & imperfectis, debitores simus; utrosque salutaribus præceptis instituere debemus. Illud autem in primis animadvertendum est, unumquodque ex his animalibus quattuor habere facies; videlicet, hominis, vituli, leonis, & aquilæ, quæ in superiori loco erat. Unumquodque item quattuor habebat alas; quarum duæ erectæ, simulque conjunctæ erant; duæ vero reliquæ corpora eorum tegebant. Sub singulis autem alis toridem manus suppositæ erant. Adspectus autem eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi adspectus lampadarum. Pedes autem eorum recti erant, qui tamen in pedis vituli formam desinebant. Facies autem eorum, & pennæ, sursum porrigebantur. Quodque his omnibus mirabilius est, quum facies,

B 3

cies,



cies, manus, pedes, & alæ, certo numero definitæ essent, oculorum tamen nullus erat definitus numerus; quandoquidem totum eorum corpus, ut Joannes in Apocalypsi ait, (a) oculis undique ante & retro respersum erat. Hæc de animalium figura. De motu vero ipsorum subdit propheta: (b) *ubicumque erat impetus spiritus, illuc gradiebantur: nec revertentur, quum incederent. Unumquodque autem ante faciem suam ambulabat: & animalia ibant & revertentur in similitudinem fulguris coruscantis.* Hæc, & multa alia, quæ longum esset recensere, multoque longius, uno sermone explicare, his animalibus propheta tribuit. Quis igitur non aperte videat, hæc omnia mysteriis esse referta? Quis porro adeo stupidus & mentis impositus, qui non cupiat, hæc ipsa, quæ clausa, & mysteriis plena sunt, sibi referari? Quis autem provinciam hanc sine divini spiritus magisterio audeat attemptare? Audeo enim dicere, tantum mysteriorum, tantumque spiritualis doctrinæ, in hoc primo Ezechielis capite esse reconditum, ut, quidquid omnes, qui spiritualis vitæ præcepta

(a) Apocalyp. 4. 8. (b) Ezech. 1. 12. 14. (c) 1. Timoth. 6. 8. (d) 1. Corinth. 9. 22. (e) Thess. 2. 7. 8.

tradiderunt, litteris mandaverunt, mira docendi ratione hoc uno capite contineatur. Quæ tamen doctrina purgatas auditorum mentes, & spiritualis perfectionis studio incensas, requirit. Quod si non omnes, quotquot hic adsumus, hujusmodi aures habemus; nihilominus tamen hac sublimi & cælesti doctrina, quantum nobis ad christianæ virtutis perfectionem desit, intelligere poterimus: qui non contemnendus hujus doctrinæ fructus est. Sed jam rem ipsam propius attingamus.

§. I.  
Diximus, his quattuor animalibus evangelicos viros adumbrari. Unumquodque autem eorum quattuor facies habere dicitur: quibus quattuor præcipuæ ipsorum virtutes significantur. Habet enim primum omnis vir sanctus aquilæ faciem. Aquila autem, ut scitis, altissima loca petit, & minime conniventibus oculis Solis fulgorem contemplatur: neque ad ima se dejicit, nisi quum famis necessitas urget; qua expleta, rursus ad sublimia recurrit, ibique tamquam in propria statione commoratur. Quid autem magis ad vi-

vum sanctorum hominum vitam & studia repræsentat, quorum omnis pæne commentatio in cælestium rerum contemplatione versatur? Unde quidam ipsorum ait: (a) *nostra conversatio in calis est, non contemptibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. De viro item justo canit ecclesia, quod, in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & aviditate in illa æterna patria conversetur. Ad hoc autem officium fideles Apostolus invitat, quum ait: (b) *si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, querite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Quid autem aliud nos sanctorum anchoritarum exempla docent, qui, vitam omnem in divinorum rerum contemplatione infidentes, numquam se ad infima hæc & terrena bona demittebant, nisi quantum inevitabilis corporum necessitas flagitabat? (c) *Habentes enim alimenta, & quibus tegerentur, bis contenti erant: nec aliud præterea captabant, ne rerum*

terrenarum cura a cælestium rerum contuitu avocarentur. Hæc prima sanctorum hominum virtus est, aquilæ facie designata.

Sed non satis est evangelico viro, aquilæ faciem retinere, nisi hominis quoque faciem gestet. Debet namque is, humanitatis & benignitatis studio se hominibus accommodare, doctrinis erudire, exemplis excitare, beneficiis devincere, modestè ac placide se erga omnes gerere, patienter eorum sive injurias sive contumelias tolerare, omnibusque se se amabilem exhibere, nemini offendiculum præbere, eorumque moribus, quibus cum vivit, sine ulla tamen divinæ legis offensione, se adaptare, ut sic omnes ad pietatem allicere, & Christo lucrifacere valeat. Quam præclare autem hanc hominis faciem Paullus induit, qui Judæis & gentibus, sub lege & sine lege viventibus, ita se accommodabat, ut merito dicere posset: (d) *omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos!* Quid vero illud ad Thessalonicenses: (e) „facti, „ inquit, sumus tamquam parvuli in medio vestri, tamquam

B4

„ quam

(a) Philip. 3. 20. (b) Coloss. 3. 1. (c) 1. Timoth. 6. 8. (d) 1. Corinth. 9. 22. (e) Thess. 2. 7. 8.



„ quam nutrix , quæ foveat filios suos : ita desiderantes „ vos cupide , volebamus tradere vobis non modo evangelium , sed etiam animas „ nostras , quoniam carissimi „ nobis facti estis ? „ Quid vero illud ? quam aperte , aquilæ faciem in hominis faciem se commutasse , testatur , quum ait : (a) *sive mente excedimus , Deo ; sive sobrii sumus , vobis ?* hoc est , ab altissima illa contemplatione , qua , sicut aquilæ inconniventibus oculis , divinæ pulchritudinis splendorem contemplamur , quaque a nobis ipsis excedentes ad sublimia & inaccessa hominibus elevamur , ad ea nos docenda demittimus , quæ infirmitati vestræ apta sunt : videlicet , non , quid ipsi Deo teste sentiamus , sed quid imbecillitati vestræ expediat , considerantes . Jam vero Salvator ipse , qui Verbum invisibile erat apud Patrem , nonne veram hominis formam induit , ut se hominibus in humana forma agnoscendum , amandum atque imitandum præberet ? Quid quum in præsentis evangelio , (b) cum publicanis & peccatoribus cibum capit ? an non hac etiam ratione hominis

(a) 2. Corinib. 5. 13. (b) Matth. 9. 10. (c) Ephes. 5. 1. (d) Rom. 7. 18.

faciem sumpsit , ut homines salvos faceret ?

Nec satis est , has duas habere facies , nisi bovis quoque imaginem sumas . Bos , animal est laboris patiens , & mactationi atque sacrificio destinatum : quo nomine mortificationis virtus recte significatur , quæ ad spiritualem vitam maxime necessaria est . Primum enim quum spirituali viro hoc sit propositum , ut , mundo mortuus , Deo vivat ; & , compressa carnis cupiditate , spiritu ductatur ; ac postremo ut , juxta Apostolum , (c) Dei imitator tamquam filius carissimus esse velit : quonam modo spiritualis ac divinus esse poterit , nisi carnalis esse desinat ? Quo modo autem carnalis esse desinet , nisi carnis cupiditates reseceverit ? Præterea si , ut Apostolus ait , (d) *non habitat in me , hoc est , in carne mea , bonum* , immo vero omnium fere vitiorum germina in illa ex peccato relicta sunt ; qui fieri potest , ut ego vir bonus sim , nisi diligenter in resecanis his pravis germinibus , quæ a carne mea pullulant , occupatus fuero ? Hoc autem continuum studium sponsa sibi proposuisse testatur , quum

quum ait : (a) *manus mea distillaverunt myrrham , & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima* . Myrrhæ autem nomine mortificationis studium designari , perspicuum est . Sponsa vero manus digitosque myrrha probatissima sibi plenos esse ait : quia præcipuum christianæ vitæ officium in subigenda carne , ejusque cupiditatibus comprimendis , positum est . Hoc autem citra laborem & contentionem fieri non posse constat .

Quo in loco illud animadvertendum est , non tam in caritate , quæ christianæ vitæ finis est , quam in via , qua ad caritatem pervenitur , laborem omnem positum esse . Videmus enim , humentia ligna , quum ab omni humore defæcata fuerint , si igni admoveantur , nullo negotio ignem concipere . Hoc autem exemplo discimus , non tam in caritate , quam in animæ præparatione ad perfectionem caritatis , totum hujus negotii pondus atque laborem existere . Nisi enim pellatur cupiditatis humor , locum habere non potest caritatis ardor . Labor autem non tam in percipienda caritate , quam in ex-

pellenda cupiditate positus est . Videris ergo , fratres , quam sit vituli facies , hoc est , mortificationis virtus , perfectis viris necessaria . Multi enim faciem aquilæ & hominis gerunt , qui tamen vituli faciem habere recusant , quia mortificationis laborem refugiunt . Non fugebat tamen ille , qui dicebat : (b) *castigo corpus meum , & in servitutem redigo : ne , quum aliis prædicavero , ipse reprobus efficiar* .

Quarta vero facies , leonis esse dicitur : quo fortitudo intelligitur ; sic enim legimus : (c) *leo , fortissimus bestiarum , ad nullius pavebit occursum* . Quum autem duæ sint hujus virtutis actiones , quarum altera est , ardua opera constanter aggredi , altera vero , adverfa patienter tolerare ; posterior hæc actio priore præstantior esse dicitur . Hac autem virtute apostoli , ceterique evangelici viri , ita claruerunt , ut (d) *spectaculum facti sint Deo , angelis & hominibus* . Hac item virtute & mundi redemptio celebrata , & ecclesia fundata & stabilita est . Christus enim Dominus per patientiam crucis mundum redemit , sibi que ecclesiam despon-

(a) Cant. 5. 5. (b) 1. Corinib. 9. 27. (c) Prov. 30. 30. (d) 1. Corinib. 4. 9.



favet. Unde patientia ejus, nuptialis vestis esse dicitur; qua indutus fuit, quum sibi ecclesiam in cruce desponsavit. Apostoli vero, & apostolorum sectatores, martyres, insuperabili patientiæ robore fidem & ecclesiam fundaverunt, & ad nos integram inviolatamque transmiserunt. Usque adeo enim horrenda mortis supplicia non formidabant, ut multi etiam sitienter appeterent. Unde quum ex militibus beati Mauricii, cujus crastina die festum celebrabimus, decimus quisque ad mortem propter Christi fidem peteretur; viri sancti quodammodo inter se contende-  
 debant, ut alius ante alium jugulum carnifici præberet, ne desiderata martyrii corona fraudaretur. Prisca vero, nobilis senatoris filia, quum christiani, jussu præfecti, occiderentur, præfectum graviter accusabat, quod, quum esset nobilis & ingenua, ignobiles illi in supplicio anteferrentur. Quidam vero martyr sanctissimus, quum immanissime tortus vocem nullam, doloris indicem, emitteret, a iudice rogatus, quonam modo inter tot dolorum aculeos vocem & gemitum contineret: quoniam, inquit, disci-

(a) *Matth. 16. 18.*

plina christianorum est, silentium servare, quum orant. Quid igitur hac patientia mirabilius? Hac igitur patientia ecclesia Christi stabilita atque defensa est, ne (a) portæ inferi prævalerent adversus eam. Quæ si sanctis martyribus defuisset, hodie ecclesiam nullam haberemus. Videtis ergo, quomodo ad propagandam fidem, & Christi gloriam atque triumphum per omnes nationes prædicandum, talibus ministris opus erat, qui leonis, bovis, hominis, & aquilæ, facies simul in una mente haberent.

## §. II.

Diximus præterea, unumquodque horum animantium quattuor alis instructum; quarum duæ conjunctis utrimque pennis in sublime porrigerentur, duæ vero reliquæ tegendo corpori fervirent. Quia vero alis aves in sublime feruntur, non abs re alarum nomine cælestium rerum contemplatio significatur. Duæ autem superiores alæ, intellectus, & voluntas, quibus in altum mens nostra fertur, mihi esse videntur. Neque enim aut sine intellectu voluntas, aut sine voluntatis affectu intellectus, in sublime salubriter & religiose ascendit.

dit. Sapiencia enim, quæ prima inter Spiritus sancti dona numeratur, duabus nititur actionibus; quarum altera ad intellectum, altera spectat ad voluntatem. Ex autem alæ conjunctæ esse perhibentur, ut intellectus & voluntas pari gressu incedant, ita ut, quod ille percipit, ista sentiat: & rerum magnitudinem, quas intellectus percipit, pari voluntatis affectus consequatur: ne de nobis illud merito dici possit, quod in multos hujus sæculi sapientes cadit: prævolat intellectus, & sequitur tardus aut nullus affectus. Quæ res in evangelicos viros minime cadit; quorum pennæ conjunctæ esse dicuntur, quod intellectus & voluntas pari gressu in Deum tendant. Duabus vero alis corpora tegunt. Duæ autem istæ alæ, quæ tegendo corpori destinatæ sunt, gemina caritas, in Deum videlicet atque proximum, esse videtur; quum caritatis sit, (a) tegere atque operire multitudinem peccatorum. Duæ quoque virtutis poenitentiae partes, nempe, præteritorum dolor, & futurorum cautio, animæ nuditatem per poenitentiam tegunt. Justitia quoque & misericordia, quarum

(a) *1. Petr. 4. 8.*

altera nemini nocet, altera omnibus prodesse studet, ad quas virtutes aliæ revocantur, animam tegunt atque vestiunt. Ornatus quippe ejus non in gemmis & auro, sed in virtutum cultu positus est.

Quid vero est, quod singulis alis singulæ manus subjiciuntur? Mirus certe membrorum numerus & collocatio, ut totidem manus sint, quot alæ; & quidem suppositæ, non suprapositæ. Alarum autem atque pennarum nomine, cælestium rerum contemplationem significari diximus; manuum vero nomine, quibus cuncta fere opera externa molimur, operationis studium. Quum ergo manus alis conjunguntur, hoc nobis designatur, ut nunquam ita cælestium rerum contemplationi addicti simus, ut recte operandi ac proximos juvandi studium penitus negligamus: nec rursus ita nos totos proximorum obsequio mancipemus, ut sanctarum precationum & meditationum studium prorsus abjiciamus. Quamvis enim contemplativa vita præstantior atque nobilior, quam activa, sit: illa tamen consultius, ista præcipitur: illa magis voluntaria, hæc magis neces-